



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniae Agrippinae, 1712

Præfatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42433



PRÆFATIO

AMICE LECTOR, meditabar simplicem tomulum sextum *De Sacrificio Missæ & Sacramento Pœnitentiæ*, & vix advertente ac etiam invito prodeunt gemini, quia post impresos quaterniones sexaginta & plures vidi materiam, quæ supererat, non posse omnem redigi ad unum involu-
crum sine informi crassitie; & quia putavi utilia fore pro praxi nec omittenda, quæ collegeram, coactus sum pro materiis illis facere tomulos duos, sextum & septimum: attamen quia utriusque materiæ planè connexæ sunt, oportuit esse unicum Indicem ac ideo relinquere debui unam seriem Quæstionum & numerorum marginalium decurrentem per utrumque tomulum, ut ex unico illo Indice, quem pono in fine hujus tomuli septimi, remittam ad continuatos numeros utriusque. Vale, & si servire potest, utere ad DEI gloriam, salutem tuam & aliorum.


† 2

SPE-

† 2

S P E C I A L E
P R I V I L E G I U M C Æ S A R E U M .

JOSEPHUS Divinâ favente Clementiâ Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Schlavoniae &c. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniola, & Wirtembergæ, Comes Tyrolis. Agnoscimus & notum facimus, tenore præsentium, universis; quòd cum nobis noster & sacri Imperii fidelis dilectus **SERVATIUS NOETHEN** Bibliopola Coloniensis humillimè exposuerit à P. P. Societatis **JESU**, Provinciæ Rhenanæ inferioris sibi factam esse potestatem typis excudendi librum in omni forma, cui titulus est, Theologia moralis antehac ex probatis auctoribus breviter concinnata à P. HERMANNO BUSENBAUM Societatis **JESU**, SS. tæ Theologiæ Licentiato, nunc pluribus partibus aucta à R. P. CLAUDIO LA CROIX ejusdem Societatis in universitate Coloniensi SS. Theologiæ Doctore & professore publico; vereri autem, ne, quod sæpius contingit, æmulorum fraude, qui editionem istam imitentur, impendii sui fructu destituatur, ac propterea supplicaverit, ut sibi contra ejusmodi fraudes privilegio nostro Cæsareo, ad decem annos prospicere dignaremur: Nos submissæ huic petitioni benigne annuerimus, ac proinde omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis & Bibliopægis aliisque quibuscunque librariâ negotiationem exercentibus firmiter, serioque inhibuerimus & vetamus, ne quis dictum librum per decennium, ab hodierno die computandum, in Sacro Romano Imperio, Regnorumque & Provinciarum Nostrarum hereditariarum finibus; sub quocunque prætextu, sive in toto, sive in parte, mutatisve titulis recudere, vel aliò recudendum dare, alibi impressum apportare, vendere, vel distrahere clam vel palàm absque ipsius **SERVATIUS NOETHEN** expresso & in inscriptis obitèto consensu
præ-



presumat: si quis verò secus faciendo, privilegium & interdictionem hoc Nostrum Cæsareum violare aut transgredi ausus fuerit, eum non modò ejusmodi libris, perperam quippe recusis & adductis (quos quidem Præfatus supplicans ubicunque deprehensos sive propriâ auctoritate, sive Magistratû auxilio sibi vindicare poterit) de factò privandum, sed & pœnâ insuper sex marcarum auri puri Fisco Nostrò & fraudis vindici & prædictò supplicanti ex æquo pendendarum, omni spe veniæ sublatâ decernimus multandum, dummodo tamen hujus privilegii Nostrî Cæsarei tenorem pro publica notitia, atque cautela in fronte expressum adhibeat, & ejusmodi quinque exemplaria ad Cancellariam Nostram Imperialem Aulicam sumptibus impetrantis transmittantur. Mandamus proinde universis & singulis Nostris & Sacri Imperii, Regnorûque & Provinciarum Nostrarum hereditariarum Subditis, cujuscunque statûs, gradûs, ordinis, dignitatis, conditionis, aut præeminentiæ existant, tam Ecclesiasticis quàm Sæcularibus, præsertim iis, qui in Magistratu constituti, vel proprio vel Superiorum suorum Nomine vel loco, Juris & Justitiæ Administrationem exercent, ne quenquam privilegium hoc Nostrum Cæsareum temerè & impunè transgredi aut violare patiantur, quin potius contumaces, si quos compererint, præscriptâ pœnâ plecti, aliisque modis idoneis coërceri curent, quatenus & ipsi eandem multam evitare voluerint. Harum testimonio literarum manu Nostrâ subscriptarum, & sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum, quæ dabantur in Civitate Nostra Viennæ decimâ quartâ die Martii, Anno Millesimo septingentesimo octavo, Regnorum Nostrorum, Romani decimo nono, Hungarici vigesimo primo, Bohemici verò tertio.

(L. S.)

JOSEPHUS m. p.

Vt. Fredlar. Com. de Schönborn m. p.

Ad mandatum Sacræ Cæsareæ Majestatis proprium.

Lutzo Dolberg m. p.

INDEX